



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Altaich Svperius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

nec non Sancti *Godardi* & omnium sanctorum reuerentiam specialem, animo deliberato, sanoque Principum, Comitum, Baronum, Procerum & Nobilium nostrorum accedente consilio, & de certa nostra scientia præfatis Abbati & Cōuentui, & Monasterio Inferioris *Altaich* ac eorum successoribus vniuersa & singula eorum Priuilegia ac literas ipsas à Diuæ memoriæ præfatis Romanorum, Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus & aliis Principibus ac Christi fidelibus super eorum bonis, donationibus, possessionibus, libertatibus, gratiis & iuribus datas, & concessas, nec non ipsorum bona, possessiones, iura, libertates, gratias, & iurisdictiones, vt signanter superscriptum Priuilegium, & omnia in eodem contenta, in omnibus suis sententiis, tenoribus, punctis, articulis, protuscripta & scripta sunt, & sicuti præscripta Priuilegialis litera de verbo ad verbum expressatur superius, approbauimus, ratificauimus, innouauimus, & confirmauimus gratiosè, ac tenore præsentium approbamus, ratificamus, innouamus, & de gratia speciali auctoritate Imperiali confirmamus. Decernentes expressè ea & eas perpetuò inuiolabilis obtinere roboris firmitatem. Supplentes nihilominus omnes defectus, si qui in præmissis ex defectu verborum, solemnitate omiffæ, sententiarum obscuritate, aut alia quauis occasione viderentur admissi, de plenitudine Romanæ Imperatoris potestatis. Nulli ergò omninò hominum cuiuscunq; status, conditionis aut præminentis seu dignitatis existat, hanc liceat nostræ Innouationis, approbationis, ratificationis, confirmationis, Decreti aut suppletionis paginam infringere, aut ei quouis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, nostram & Imperij sacri indignationem grauissimam, ac pœnam in Priuilegiis eiusdè Monasterij expressam, ac pœnam quadraginta Marcarum aurj puri se nouerit incursum. Quarum medietatem ærario siue fisco nostro, residuam verò partem præfatorum Abbatis & Monasterij vsibus decernimus applicandam, præsentium sub Bulla aurea typario nostræ Maiestatis impressa testimonio literarum. Datum Pragæ, Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Tricesimo Septimo, die vero Sexta mensis Septembris, Regnorum nostrorum Anno Hungariæ, &c. Quinquagesimo primo, Romanorum vigesimo septimo, Bohemiæ decimo octauo, Imperij vero quinto.

ALTAICH SUPERIVS.

VTILO Dux Bauariæ, instinctu S. Pirminij, Episcopi Metēsis, qui tunc apud ipsum erat, sex Monasteria construxit, vnum prope Menem lacum Noricorū, quinque in inferiori Bauaria juxta Danubium, Patauiæ Nidernburg, pro sacris Virginibus, Osterhonen, Pfaffenmünster, Altaich superius & inferius, quæ S. Pirminius dedicauit ad Monasterium Althæ superioris: Eto Argenteratensis Episcopus dedit Monachos S. Benedicti, & hoc circa Annum Domini 739. Aduocati huius Monasterij Althæ superioris fuerunt Comites de Pogen, qui multa beneficia ei contulerunt. Nam Aſſvinus & Fridericus, Comites à Pogen, Monasterium hoc ab Vngaris exustum ac desolatum, Anno 1102. instaurarunt: Vnde non solum pro Aduocatis, verum etiam pro alteris fundatoribus illius Monasterij habiti sunt.

*Auent. sa
annalib. f.
251. & 255.*

ALBERTVS Comes, primus huius nominis de Pogen, Altaich superius à Progenitoribus suis conditum, hoc est, restauratum, cum Friderico consanguineo suo immunitate donat, Monachis priuilegium dat Abbatem liberè eligendi, Anno 1125.

*Auent. fol.
691.*

ALBERTVS quartus & vltimus, Comes de Pogen, iturus militatum in Asi-

Metrop. Salib. Tom. 1. 6

E am

am & Africam, legat tertiam partem bonorum & reddituum, quos frater suus Luipoldus in foro Pogen reliquerat, ad Monasterium Altach superius: Testes, Gebhardus de Menna, aulae praefectus, Hartvicus de Eia, Albertus Hagenbach & Rapotho Mennius. Actum Naterberg, Anno 1220. regnante Friderico Imperatore feliciter. Diploma ibi vel in inferiori Altaich extat.

SVB Ludouico Imperatore, circa Annum Domini 1340. Monachi Althae superioris Danubium, quod nimium vicinus Templo agros, prata, excederet, ab antiquo meatu, qui locus adhuc vetus Danubius dicitur, graui impendio, alio deriuant, nouum alueum decem continuus annis effodiunt, mille amplius libras Ratisbonen. expensas referunt, &c. Auentinus libro septimo, folio 784.

LVDOVICVS, Marchio Brandenberg. filius Ludouici quarti Imperatoris, & fratres sui nominant Abbatem hunc, *den Ersamen Geistlichen Fürsten* tribuen. illi Parochiam beatæ Mariæ virginis in Landau, pro remedio animæ suæ, Anno 1348.

SUNT ibi sepulti, Nicolaus, Episcopus Patauiensis, qui exul Anno Domini 1340. ibi mortuus ac sepultus est, deinde Nobiles de Satlbogen, & Stainberg.

ADDITIONES.

A. **I**N nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Albertus Comes de Bogen, omnibus in perpetuam memoriam. ✠ Quia sicut aqua ignem, ita & elemosynam extinguere peccatum & credo, & scio. Vnde ad notitiam præsentis pagina omnium eam intuentium peruenire volo, quod ego in obsequium Crucifixi ad transmarinas partes proficisci volens, pro remedio animæ meæ, meorumq; venia delictorū contuli Ecclesiæ in *superiori Altha* vnam partem Fori mei, quod *Bogen* dicitur in perpetuum vsum Fratrum ibidem Deo famulantium, cum omnibus artinentiis suis & prædiis siue hominibus, seu etiam omni forensi jure ac proventu, Sanctoq; Petro Apostolo delegans omnem proprietatem eiusdem tertiæ partis, quæ hæreditariè contingebat fratrem meum *Leopoldum* cum omnibus appendiciis supradictis. Vniuersis etiam bonis eiusdē Ecclesiæ, quæ hæctenus à me violenter possessa & occupata iniuste, vel alienata sunt, integre renuntio, nullum in his, & in præmemoratis bonis Ecclesiæ præfata à me collatis jus hæreditatis aut potestatis in posterum, aliqua prorsus interueniente donatione vel pactione, relinquens. Nomina verò bonorum iniuste possessorum sunt hæc. Quatuor curiæ in *Puchberg*. In *Vtendorff* prædium vnum. *Wassenberge* prædium vnum. In *Öde* prædium & vinea. In *Kagore* prædium. *Höuelin* prædium. In *Tannovve* pratium. Dotem in *Menna*. Curiam in *Talsfetten*. Curiam in *Sante*. Curiam in *Straskirchen*. Quatuor Curiam in *Ratesstetin*. Curiam in *Lugenarn*. Duæ Curiam in *Haide*. Duæ in *Ride*. Molendinum in *Lauffe*. Duæ Curiam in *Melbach*. Ad maiorem igitur meæ donationis & renunciationis effectum, præfentes inde conscribi, & sigilli mei munimine duxi roborari. Testes Ioannes Abbas de Binneberge. Gebhardus Marscalcus de Menna. Hartunc de Eia. Hainrich in Prüel, Albertus de Heybach. Rapodo Præpositus de Menna, & alij plures. Actum & datum in Naterberg, Anno Dominij M. CC. XX. Indictione septima. Octaua Kal. April.

Honorius PP. II. seruus seruorum Dei, cunctis fidelibus salutem & apostolicam benedictionem. Priuilegium libertatis *Altachensis* Cænobij vt subscriptum est, nostra auctoritate firmamus, & sub Banno S. Petri & nostro constringimus, ne quis

ne quisquam eidem loco & bonis ad eum pertinentibus aliquam vim iniuste inferat, aut mali aliquid faciat, quod si quis hoc transgressus fuerit aeterno anathemate se damnatum sciat. IN NOMINE Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ad comprobandam & declarandam bonorum industriam notum. facimus; & memoriæ posteris tradimus, vt vniuersi Ecclesiæ filij præsentés sci- ant & recognoscant qualiter locus *Superior Althe* nominatus, omnipotentis Dei seruitio sit institutus & Romanæ libertati traditus, anno ab incarnatione Domini 1125. Indictione octaua. III. Id. Decembris. Primo anno *Lotharij* regis Saxonici, Deo annuente, & *Luidegero* eiusdem loci Abbate plurimum in hoc annuente, conuenerunt ad eundem locum cum plurimis amicis & nobilibus viris & militibus suis *Fridericus* aduocatus Ratisponensis Ecclesiæ cum consensu contectalis suæ, & *Adelbertus* Comes de *Windeberch*, cum vxore & filiis admodum paruis, ad quorum ditionem idem locus hæreditario iure pertinebat; Ergò per Spiritum Sanctum admoniti & compuncti, eundem locum cum omnibus appendiciis suis; agris, vineis, siluis, pascuis, cultis & incultis, quæ ipsi aut parentes eorum dederant; aut aliqua consanguinitatis, & propinquitatis eorum deditiois iure ad eundem locum pertinebant, vel à militibus suis, vel ab vilo antecessorum eorum, vel à quocumque hominum eò collata sunt; omnino vsui suo atque potestati abalienauerunt, & absque omnium hominum retractione & contractione, Deo & Sancto Petro dederunt; tradiderunt, condonauerunt, & perpetuo liberum esse decreuerunt, nimirum pro animarum suarum & parentum suorum saluatione & absolutione. Ne ergò hæc traditio & confirmatio ab vilo hominum, vel ab ipsis, vel à posteris nepotibus suis vnquam possit infringi aut adnullari, communi consilio decreuerunt, vt eundem locum in manum prædicti *Adalberti* Comitis pariter delegarent; scilicet vt ipse Romam iens hanc delegationem super altare Sancti Petri, in conspectu Apostolicæ sedis Episcopi & Romanorum Principum confirmaret & stabiliret, ea videlicet conditione, quatenus singulis annis exinde aureus nummus in testimonium persoluatur: Et ne cuiquam hominum; Regum, Principum, Episcoporum locus ipse cuiusque seruitij amplius subiaceat. Cæterum hæc traditio eo tenore facta est, vt Monachi ibidem Deo seruietes habeant potestatem eligendi Abbatem secundum Regulam Sancti Benedicti quemcunque velint, aut inter se, aut aliunde; qui tamen electus accipiat baculum de altare. Hæc etiam conditio inter eos facta est; de aduocatione, videlicet vt *Fridericus* qui tunc temporis Aduocatus erat, si filium genuerit, ipse & posteri eius iura aduocationis semper retineant, si autem absque liberis excesserint iura aduocatiæ ad *Albertum* Comitem, & ad posteros eius pertransiant, & quisquis inter eos natu maior fuerit, ipse aduocatus consistat. Qui tamen Aduocatus nihil aliud juris aut potestatis quam quod subscriptum est, ibi retinebit. Semel in anno ratiocinationem cum familia habere debet, & non alibi nisi in eodem loco hanc exercere valebit. Si autem utilitas loci poposcerit, vt illi adueniat, hoc ei in seruitio suppeditabuntur, sex vrnæ vini, & vna mellis, & viginti vrnæ Ceruisiæ, quatuor modij frumenti, & toridem porci; & duodecim modij auenæ; ita tamen, vt si ibi rationem habeat, hæc ei omnia dentur; nec alicubi aliò deferantur; nec habeat potestatem, hæc cuiquam in beneficium, dare aut præstare. Qui tamen Aduocatus si fratribus grauis, & monasterio inutilis fuerit, amoto eo, alius substituatur. Harum rerum omnium testes per aurem attracti sunt, *Fridericus* Aduocatus, duo filij *Adelberti* Comitis *Berchtoldus* & *Adel-*

Retractione & contractione.

bertus, Dietricus de Buchusen, Dietmarus & frater eius Ekkerich de Silichingin, Dietmar de Wenniggesdorf, Marchvvar de Ebermundesdorf, Werigant de Wolfaha, Ratpott de Slipphingen, Eberhart de Rota, Willehalm de Geppenhaim, Werinheri de Holzen, alius Werinheri & Gotschalch de Heninchouen, Altman de Welinchinberg, Sviker de Berindorff, Vdelrich de Ahahusen, Liupolt de Vheffigen, Gotzpolt de Retenpach, Hi omnes nobiles viri, exin militantes, Adelhart de Hiutta, Gotpolt de Ruberdorff, Landold de Landoldesberch, Wolchmar de Mennaha, Gotzpreht de Harada, Gumpolt de Herimuresdorff, Eppo de Drahsala, Rudolph de Vremerichesberck, Adelpreht de Houedorff, Megingoz & frater eius Hiltibolt, Marchvvar & Werincheri de Nuzpach, Berinhart de Gebinchouen, Marchvvar de Niunchirchen, Sigibor de Chunenzzella, Pabo de Gesvventa, Hagano de Geshusen; & alij quam plurimi. Datum est Laterani in Palatio, Anno Dominicæ incarnationis 1126. Indiēt. 4. 11. Kal. April, Ottone Cancellario Sanctæ Romanæ sedis.

C. **H**onorius Episcopus seruus, seruorum Dei, Dilectis filiis Abbati & Conuentui Monasterij Sancti Petri de *Superiori Altaba*, salutem & apostolicam benedictionem. Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum, tam vigor æquitatis, quàm ordo exigit rationis, vt id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domini filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas & Monasterium vestrum cum omnibus bonis, quæ in præsentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum præstante Domino iustis modis poterit adipisci, sub Beati Petri & nostræ protectione suscipimus, specialiter autem de *Aiterkoben*, de *Monte Sancta Maria*, de *Chriſtenkirchen*, & de *Mitterfels* Ecclesias cum pertinentiis suis, nec non possessiones ac alia bona vestra, sicut ea omnia iustè Canonicè ac pacificè possidetis, vobis & per vos eidem monasterio vestro autoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Laterani 4. Idus Iunij, Pontificatus nostri anno octauo.

D. **W**IR Ludwig / Stephan vnd Ludwig von Gottes Genaden / Marggrafen zu Brandenburg vnd zu Lufis / Pfalzgrauen bey dem Rheyne / Herzogen in Bayrn / Embieten dem Ersamen Geistlichen Fürsten / dem Abte zu Obern Altsach vnd dem Conuent daselbsten / vnsern Demütigen Lieben / vnsern Gruech vnnnd alles Guts / durch den guten Willen / Günst vnd Freundschaft / die die Hochgebornen Fürsten vnser Vorfahrn / die Herzogen von Bayrn / vnser lieber Benediger Herr vnd Vatter Kayser Ludwig von Rom / seelig / zu euch gehabt habent / vnd wir auch durch der redeligkeit willen / die wir an Euch vnd an Euren Gottshaus erfunden haben / vnnnd täglich erfinden. Geben vnd ergeen wir Euch / endem Gottshaus / dem Herrn / die jezund lebent / vder fürbas da künfftig werdent / auff das / daß sine Gott dester baß gedienet vnd ehren mäg / vnd daß ihr für vnsern Vorfahrn / vnsern lieben Herrn Vatters seeligen / vnser vnsern Erben vnd Nachkommen Seelen Seelen Hayl vnd Seeligkeit / mit einer ewigen gedächtnuß willen desto fleißlicher bitten soll / vnd mäge / die Pfarzkirchen zu vnser Fraa

Der Frauen / die gelegen ist in vnser Statt zu Landaw / mit allen ihren zugehört / nutzen
 vnd rechten / die von alter vnd von guter gewohnheit darzu gehört habent / vnd gehörtent /
 wie die genant seyn / oder wo die gelegen seint / ewiglichen zuhaben vnd zu nutzen / ohn als
 se hinderuß vnser / vnseren Erben / Nachkommen / Ambtleut / wie die genant seint / rübig-
 lich zu besizen / vnd verzeyhen vns für vns / vnser Erben / vnd all vnser Nachkommen der
 vorgeannten Kirchen / vnd aller ihrer nütze vnd zugehört / wie die genant seint / als vor-
 geschriben steht / die vns angehört habent / angehörtent / oder in eine weiß angehört möch-
 ten mit guten willen / vnd wolbedachtem muth / mit diesem Brieff / vnd wöllen noch sollent
 vns fürbaß daran kein ansprach nach forderung haben / ewiglich / noch behalten / nach
 des Erbarn Mannes / Herrn Ulrichs von Ahdorff todt / der jezund Pfarrer ist derselben
 obgenannten Kirchen / darumb gebieten wir allen vnseren Ambtleuten / Vicedomb / Rich-
 teen vnd Pflegern / wie die genant sind / die jezunt sint / oder künfftig werdent / in vnsern
 Landen zu Bayern / daß sie den vorgeannten Geistlichen Fürsten / den Abbt / vnd die Con-
 uent Brüder / die jezund sind vnd künfftig werdent / an der vorgeannten Kirchen eigen-
 schafft / an vnser stat fristen / vnd schirmen / daß in daran keinerley stoß / laid / hinderuß
 noch beschwerung widerfahre / söstiglich / bey vnsern hulden / vnd das zu einem Brkunde /
 haben wir im geben disen Brief / versiglet mit vnserm Insigl / der geben ist zu München /
 nach Christi Geburt / dreyzehnhundert Jahr / darnach in dem Achte vnnnd vierzigisten
 Jahr / des nechsten Montags nach S. Laurentzen tag.

CATALOGVS ABBATVM MONASTERII Superioris Altach.

- I. ERNESTVS vixit an. 765. *E* mentionem eius facit *A*uentin.
 Annal. Boior. lib. 3. f. 302. *sequentium reperiuntur nomina Sola in Mor-
 tilogio.*
- II. HERMANNVS ob. 2. Ianuarij.
 III. WOLFBERTVS ob. 10. Ianuarij.
 IV. RATIMVNDVS ob. 18. Ianuarij.
 V. ERCHAMBERTVS ob. 30. Ianuarij.
 VI. LEOPOLDVS ob. 26. Febr.
 VII. REGENWARVS ob. 13. Maij.
 VIII. OTGERVS ob. 26. Maij.
 IX. YMNIO ob. 31. Maij.
 X. OLPALDVS ob. 5. Iunij.
 XI. GRIMOALDVS ob. 2. Iulij.
 XII. WOLFRAMVS ob. 26. Augusti.
 XIII. VROLF ob. 27. Aug.
 XIV. IRMBERTVS ob. 28. Aug.
 XV. REGINHARDVS ob. 2. Septembri.
 XVI. DIETMARVS ob. 6. Sept.
 XVII. RICHWINVS ob. 9. Septemb.
 XVIII. SIGMARVS ob. 10. Septemb.
 XIX. WENCESLAVS ob. 21. Septemb.
 XX. WOLFRAMVS ob. 3. Octob.
 XXI. LAMPERTVS ob. 31. Octob.
 XXII. ADALHARDVS ob. 14. Nouemb.
 XXIII. ADALBERTVS ob. 18. Nouemb.

- XXIV. WALTHERVS, ob. 23. Nouembr.
 XXV. ARNOLDVS, ob. 29. Nouembr.
 XXVI. DIETBOLDVS, ob. 12. Decembr.

Extradit.
 Monast.
 Vid. Fr.
 Arnold.
 Wion. in
 lign. 9. tit.
 libr. 4. cap.
 39. & Ca-
 talog. Epi-
 scoporum
 Eysteten.

Vastatum ab Hungaris Anno 907. Monasterium, cum durasset à prima fundatio-
 ne annis 168. & desolatum in cinerib. suis jacuisset per annos circiter 195. restaurauit Co-
 mes Fridericus à Pogen, huius nominis primus una cum coniuge sua Dn. Adelheide, Anno
 Christi 1102. ob. dictus Comes Fridericus restaurator siue secundus fundator huius Mona-
 sterij Anno 1104. relictis duobus filijs Vlrico clerico & Friderico II. nec non filia Adelheide,
 coniuge Ernesti Marchionis Nordgônia.

Sequuntur Abbates post Restaurationem siue foundationem
 secundam.

- XXVII. I. EGINO cum fratribus aliquot suis An. 1102. a Friderico adductus, ob. 1105.
 XXVIII. II. ERNESTVS eligitur an 1106. ob. an 1115 die 17. Martij.
 XXIX. III. LVDGERVS, el. an. 1115. ob. an 1137. 28. Nouemb.
 XXX. IV. RVTHARTVS, el. 1137. ob. an. 1154.
 XXXI. V. GOPPOLTVS, el. 1154. ob. 1159 die 16. Martij.
 XXXII. VI. THEODORICVS, electus ann. 1159. eo ipso anno decessit.
 XXXIII. VII. GERHARDVS, el. 1159. ob. an 1184. 29. Maij.
 XXXIV. VIII. WOLFRAMVS, el. 1184. ob. 1194. Februarij die 18.
 XXXV. IX. LEOPOLDVS, electus an 1194. remouetur à Pralatura an. 1215.
 X. HENRICVS, subrogatus Leopoldo ob. an. 1221.
 XI. CONRADVS, el. an. 1221. ob. 1245. sub hoc præsule confirmauit PP. Honorius
 III. Monasterio Ecclesias, S. Mariae in monte Pogen, Ayterhouen, Kriuzenkirchen,
 & Mitterfels.
 XII. VDALRICVS, el. an. 1245. quo anno Monasterium conflagrauit. annis ali-
 quot elapsis Vdalricus Abbas postulat ur Ratisbonam ad S. Emmeramum, remoue-
 tur ibid. an. 1251. & obiit tandem an 1263. in Abausen.
 XIII. HAIMO, el. an. 1248. ob. an 1252.
 XIV. BVCKHARDVS, el. an. 1252. ob. 1260.
 XV. POPPO, postulat ur An. 1260. ex Monasterio Nideraltach, Vir Deo & homini-
 bus acceptus, Monasterij sui reformator industrius. Ordini suo adscripsit. B. Con-
 fessorem Albertum Comitem de Haigerloch. Leuauit insuper reliquas Comitibus
 Friderici fundatoris alterius eiusque fratris Asvini ac coniugum utrorumque ex
 crypta montis Pogen in sacellum S. Vlrici Ecclesie monasterij, An. 1279. die 4. Aug.
 Postquam autem Abbas Poppo optime præsuisset, annis 22. repetitus fuit à fratri-
 bus sui Monasterij Infer Altaba & Abbas renunciatus, quod per sexennium uti-
 liter rexit, donec pie obiit an 1289. mensis Ianuarij die 27.
 XVI. CONRADVS II, Piper cognominatus, vir pius, elig. An. 1282. ob. an. 1297.
 Sepultus in Choro ante sum altare cum hoc Epitaphio.
 Det benedictus sit ut à Christo Benedictus,
 Flos Prelatorum Chunradus genâ mag. morum.
 Qui obiit Anno Domini 1297. IX. Calend. Augusti.
 XVII. CONRADVS III. An. 1297. ex Monasterio Tegernsee postulat us resignauit
 & obiit An. 1311. 28. Decembr. quo ipso anno B. Confessor Albertus quoque denatus
 est. postquâ quinquaginta annos vixisset in ordine. Huius animam vidit Christ in a
 Solitaria in Pogen dum precibus immoraretur, in forma splendentis sacula è mona-
 sterio in calum ascendere, claruit miraculis tam in vita quam post mortem.
 XVIII. HENRICVS II. Postulat ur ex Canobio Rinchnach, ob. 27. Ian. An. 1316.
 XIX. HEN-

- XIX.** HENRICVS, III. Postulatur ex Mon. Tegernseensi Abbas. ob. 1330. quo anno turri montis Pogen fulgure tacta perierunt campana, Ecclesia & tres parietes, quae omnia restaurauit Abbas Henricus industria sua, & piorum subsidio fulcrum restaurauit. Sub hoc Abbate capit monasterium Maria cella, de quo infra suo loco plura dicentur.
- XX.** VDALRICVS el. An. 1330. ob. 24. Iulij An. 1338.
- XXI.** WOLFGANGVS electus an. 1338. ob. Cal. Septembr. An. 1346. Cum circa haec tempora Danubius cursu suo Monasterio multum noceret, iussu Imp. Ludouici alueniens alio derivatus fuit, durauitq. labor iste per annos decem, magnis Monasterij impensis. Dedit igitur opt. Imperator Monasterio in recompensam damni accepti quaedam bona priuilegia & iuramentum, den. Zehhof zu Jtting / sambe dem Santa hof vnd Strohof. Die Restirung des Kirchhofs zu Jtting / das Vogtrecht zu Ebling / vnd zu Jtting / die anschütze (vis aluionis) in der Thonaw zu Dogen von der Lehenschafft / auch die neue Thonaw / sambe befreihung der Maut durch das ganze Landt.
- XXII.** FRIDERICVS proficitur an. 1346. defunctus an. 1358. die 20. Nouemb huius temporib. fundatur Canobium S. Elisabethae Cella, & Monasterio Oberaltaha incorporatur; sed posteriorib. temporibus desijt, & fundatio loci istius est in manibus laicorum Dominorum, de Schvartzenburg.
- XXIII.** LAVTWINVS el. an. 1358. ob. 1362.
- XXIV.** RVGERVS el. an. 1362. deponitur rursus in festo S. Catharinae, An. 1366. vacat Praelatura an. 1 mensis 1 & dies aliquot.
- XXV.** EBERWINVS An. 1368. in festo S. Thomae Apostoli postulatur ex Monasterio Metten. Ob. Kal. Decemb. An. 1380. sub huius regimine iterum fulgure tacta fuit turris in monte Pogen perierunt una cum tectis ex ligno factis, dua maiores campana an. 1379. die Luna ante festum B. Virginis fundauit Dux Fridericus Landshutanus in templo montis Pogen anniuersarij datis 160 libris denar. Ratisbonen. obtulit insuper imaginem S. Mariae deauratam coram qua dictus Dux genibus flexis cernitur.
- XXVI.** PETRVS Vrsenpeck ab Vrsenbach, nobilis Boius eligitur An. 1380. mense Decembr. Ob. an. 1403. die 30. April.
- XXVII.** GALLVS, elect. an. 1403. è viuis excedit an. 1405. in die Natiuitatis Christi.
- XXVIII.** IOHANNES, Vogel elig. in die S. Syluestri, an. 1405. ob. 1423. Sub hoc prelato contigit, anno 1413. ut in die S. Parasceues puer quidam in Montis Pogen templo inter alios communicantes, corpus Dominicum acciperet, ac in reuertendo, eo ipso loco, ubi nunc Capella nuncupata apud Dn. nostrum adificata est, euomeret, queres diuinitus reuelata, & sacra hostia ibi loci in terra jacens integra inuenta fuit & incōtaminata. Familia hac ad Iohannem Abbatem perlata, cum toto Cōuentu suo processionaliter ueniens, sacram hostiam veneratus in templum montis asportauit, & in honorem Saluatoris mundi liguum Sacellū construisecit. Et ex templo miracula quadam ibi facta sunt. Annis circiter quinquaginta post, Abbas Benedictus pro ligneo lapideum sacellum in hodiernum diem durans substituit, quod in honore S. Saluatoris dedicatum Episcopi aliquot Indulgentiis condecorant.
- XXIX.** IACOBVS Gletner Ratisbonen. elig. in festo Concept. B. Virginis, impetravit pro se & suis successoribus ab Eugenio PP. IV. Pontificia An. 1437. ob. an. 1418. die 4. Septembr.
- XXX.** IOANNES Asperger, dictus Paurnpöele, Deckendorfo oriundus. Eligitur 6. Septembr. an. 1438. utilis fuit monasterio ob. an. 1463. in octaua assumptionis B. M. Virg.
- XXXI.** BENEDICTVS Beham, ex nobili familia, proficitur an. 1463. optimè reno monasterij familiarem gessit, multa coemit bona & decimas, utilia quoq. aedificia construxit, ob. an. 1476. Dominica Reminiscere.

- XXXII.** IOANNES Irlbeck, ex pago Ayterhoben ortus el. an. 1476. depositus die Martis ante festum S. Lucia an. 1481. Romam profectus an. 1482. ibi moritur die 13. Iulij.
- XXXIII.** RAPHAEL Neupöck Subprior & professus monasterij in Tegernsee postulatur an. 1481. die Mercurij ante festum Natiuitatis Domini, vir pius & doctus. Obijt epidemia in istis partibus grassante die 13. Nouembr. ann. 1483.
- XXXIV.** CHRISTANNVS Tesenpacher Salisburgen. Vir literatus, & disciplina regularis probe gnarus proficitur Monasterio An. 1484. per Ducem Boiaria Albertum, ut disciplinam monasticam, ibi introductam continuaret: id quod singulari industria perfecit. nec non rem familiarem multimodis auxit. Ob. An. 1502. in festo SS. Ioannis & Pauli. Transtulit hic Abbas fundatorum ossa ex Capella S. Vlrici, in templum Monasterij, & ante altare B. Virginis in nouo sepulchro eleuato condidit An. 1485. post festum S. Dionysij. Idem Abbas Christannus seruauit lipšana B. Confessoris Alberti ex suo tumulo, in quo an. circiter 178. quieuerat; & in Choro templi, iuxta summum altare sub fornice ad parietem locauit.
- XXXV.** GEORGIVS Dinspier Deckendorffen, eligitur an 1502. propter innocentiam suam multa ab aduersarijs perpeffus; & pater famil. optimus, ob. 7. Augusti An. 1519.
- XXXVI.** GEORGIVS Perckhamer Ratisbonen. elig. An. 1519. Ob. 20. Augusti, An. 1521.
- XXXVII.** GREGORIVS Pauuer Hirsauuensis, el. An. 1521. Ob. 25. Octob. An. 1527.
- XXXVIII.** BERNHARDVS Mayer Tölicen. Vir diuino Zelo seruens, el. An. 1527. Ob. 19. Iunij, An. 1541. An. 1533. in Vigilia Ascensionis Domini fulgur fratrem unum, cum duobus alijs campanas pulsantem exanimauit.
- XXXIX.** ANDREAS Wild de Sinching, Boius, postulatur ex Monasterio Tegernsee An. 1541. imperitus fuit & conomia; bona quadam alienauit, debitaque contraxit; resignauit tandem An. 1551. & obijt decima octaua Februarij, Anno 1553.
- XL.** SEBASTIANVS Hofmann Sulzpacen. Palatinus, professus Monasterij Tegernsee, venit in Monasterium super Altaba cum confratre suo Abbate Andrea; qui constituit illum Priorem: eligitur tandem Abbas an. 1551. Legitur de illo, quod res Monasterij pessime administrauerit, praedia multa vel oppingnorauerit, vel uendiderit: grande as alienum contraxerit. Ob. 2. Ianuarij, An. 1564.
- XLI.** WOLFGANGVS Pogner, huius nominis secundus ex uico Pogen oriundus. An. 1564. Prima Martij Administrator designatur, praesuit mens. duntaxat sex.
- XLII.** IOAN. BAPTISTA Lochner, Ingolstadien. Postulatur ex Monasterio S. Emmerami Ratispon. An. 1564. cum Pralatura per annum integrum patre & pastore destituta fuisset: ipse quoque administranda rei familiaris ignarus, debita adauxit, & resignauit tandem Anno 1593. & obiit die 20. Nouembr. eodem Anno.
- XLIII.** CHRISTOPHORVS Glöckler Landshutanus, el. An 1593. bene praesuit, multaque debita dissoluit. Obijt Anno 1614. die 7. Martij. Sub huius regimine Monasterium multa damna ex incendijs & fulgurib perpeffum fuit.
- XLIV.** VITVS ex Kirchenleybach prope Boioruthum apud Nariscos oriundus, eligitur anno 1614. die XV. Aprilis, & etiamnum praesf.